



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Projectus Ep. 23. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

**N**ihil jam novi, si laudes suas infantia in utero loquitur. Ita PROIECTUS noster gravidæ parenti visus est in somnis per latus nasci, & dextrâ lilyum præse ferré triumphans. Sensit certè patria (Forum Cornelii fuit) virtutis odorem, & laudavit animum etiam lilio candidiorum. Ipse literis bonis imbutus Episcopo Cornelio adfuit, & cùm in stipem pauperum non nisi duo denarii superelissent, loculos vacuos tanto miraculo infarsit, ut in totius paupertinæ cohortis stipendia suppeterent. Alias cùm tres hospites alii hospites riderent à carnium esu sibi temperantes, nec moniti ipsi à risu temperarent; collapsum repente cœnaculum est, risu omnibus, præter tres, quos diximus, & PROIECTUM, emortuis. Subinde mortuus etiam Cornelius viduam insulam reliquit. Et tulisset hanc jam tunc ad PROIECTUM populus, nisi alterius ambitio præripuisset. Huic ipsi tamen optatam prædam mors intra xxv. dies eripuit, ut alter sibi delatam, cùm fatalem esse capiti non merenti videret, ultrò ad PROIECTUM remitterent. Tunc demum insula locum se dignum credidit nactam esse, quando non tam ipsa lilyum, quam lilyum ipsam coronavit. *Ex Ferrar.*

Si

23. Sept. VITÆ SANCTORUM. 595

Si pro temporali curâ ægri medicis obediunt, servant arduam parcitatem; quare pro sempiternâ salute sit durum Christo moderatis obedire jejuniis, corpus gubernare mensurâ mentem regere parcitate, sensus sobrietate frenare? S. Pet. Chrys. serm. 41.

S. THECLA V. & M. 23. Septembri.

P Rinceps earum virginum THECLA memoratur, quæ candidum animi pudorem martyrii purpurâ exornarunt. Hæc à Magno Paulo fidem Iconii edocita, cùm ab ejus ore dies noctesque è fenestrâ penderet, facile misso, qui ei è pimâ nobilitate fuit, sponso, Christo amiores suos addixit. Qyam ipsam obcaussam cùm castitatis magister Paulus in vincula esset datus, gemmis omnique mundo muliebri distractis, adiutum sibi ad eum mercata est, eas demum gemmas æstimans, quas è Pauli ore leveret. Et vide in virgine Herculem. Capta cicuravit, quibus objecta fuit, leones? domuit, quibus alligata fuit, tauros? vicit undarum, quibus iinmissa est, monstra? triumphavit, quos consenserat, ignes; & flammæ, quæ nec Herculi pepercerant, virgini pepercere: ut sciant, qui castitatem eunt occisum, omnibus monstris insaniores se esse. Cæterum tot victoriis inclita Seleuciam venit, ubi cum ægris compluribus falutiferam

Pp 2 ma-